

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschienen] 1559**

Actvs Secvndi

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](#)

A N D R I A

Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis  
De Glycerio. iam ferme moriens me uocat:  
Accessi: uos semotæ: nos soli: incipit:  
Mi Pamphile, huius formam, atque ætatem uides:  
Nec clam te est, quād illi utræque res inutiles  
Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem sient.  
Quod ego per hanc te dextram oro, & genium tuum,  
Per tuam fidem, perq; huius solitudinem  
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras,  
Si te in germani fratris dilexi loco,  
Siue hæc te solum semper fecit maxumi,  
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.  
Te isti uirum do, amicum, tutorem, patrem:  
Bona nostra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei.  
Hanc mi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.  
Accepi: acceptam seruabo. M. ita spero quidem.  
P. Sed cur tu ab illa? M. obstetricem accersi. P. propera.  
Atque audin'? uerbum unum caue de nuptijs,  
Ne ad morbum hoc etiam. M. teneo.

A C T U S S E C V N D I S C È N A PRIMA.

C H A R I N V S, B Y R R H I A, P A M P H I L V S.

Vidais Byrrhia?

q Datur illa Pamphilo hodie nuptum? B. sic.  
est. C. quisca Byrrhia?

B. Apud forum modo de Danio audiui. C. uæ uæ misero  
mihi.

Vt animus in spe, atque in timore usque antehac at-  
tentus



tentus fuit,  
Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus  
stupet.

B. Quæso ædepol Charine, quoniam id fieri, quod uis,  
non potest,  
Velis id, quod possit. C. nihil aliud, nisi Philumenam,  
uolo.

B. Ah, quanto satius est, id operam te dare,  
Iustum qui amorem ex animo amoueas, quam id loqui,  
Quo magis libido frustra incendatur tua.

C. Facile omnes, cum ualemus, recta consilia ægrotis  
damus.

Tu si hic sis, aliter sentias. B. age age, ut lubet. C.  
sed Pamphilum

Video. omnia experiri certum est prius, quam pereo.  
B. quid hic agit?

C. Ipsum hunc orabo : huic supplicabo ; amorem huic  
narrabo meum :

Credo, impetrabo, ut aliquot saltē nuptijs prodat dies.

Interea fiet aliquid, spero. B. id aliquid nihil est. C.  
Byrrhia,

Quid tibi uidetur ? adeon' ad eum ? B. quid ni ? si ni-  
hil impetres,

Vt te arbitretur sibi paratum mœchum, si illam du-  
xerit.

Abi hinc, abi in malam crucem cum suspicione istac,  
scelus.

Charinum video, salue. C. o salue Pamphile :  
Ad te aduenio, spem, salutē, auxiliū, consiliū expetēs.

Neque pol consili locum habeo, neque auxiliū copiam.

sed

## A N D R I A

Sed istuc quid nam est? C. hodie uxorem ducis? P.  
aiunt. C. Pamphile,  
Si id facis, hodie postremum ne uides. P. quid ita?  
C. hei mihi,  
Vereor dicere: huic dic quæso Byrrhia. B. ego dicam. D.  
P. quid est?  
Sponsam hic tuam amat. P. nœ iste haud mecum sen-  
tit. ehodum dic mihi,  
Nunquidnam amplius tibi cum illa fuit Carine? C. ah C.  
Pamphile,  
Nil. P. quæm uellem. C. nunc te per amicitiam, & D.  
per amorem obsecro,  
Principio ut ne ducas. P. dabo equidem operam. C. sed C.  
si id non potes,  
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. P. cordi? C. saltēm ali-  
quot dies  
Profer, dum proficiscor aliquo, ne uideam. P. audi D.  
nunc iam:  
Ego Carine neutquam officium esse liberi puto,  
Cum is nil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.  
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipisciēr. P.  
C. Reddidisti animum. P. nunc si quid potes aut tu, aut  
hic Byrrhia. C.  
Facite, singite, inuenite, efficite, qui detur tibi:  
Ego id agam, mihi qui ne detur. C. sat habeo. P. Da- P.  
uum optime  
Video. huius consilio fretus sum. C. at tu hercle haud  
quidquam mihi,  
Nisi ea, quæ nihil opu' sunt sciri. fugin' hinc? B. ego P.  
uero ac lubens.

A C T V S



## ACTVS SECUNDI SCENA II.

DAVVS, CHARINVS, PAMPHILVS.

D. I boni, boni quid porto? sed ubi inueniam  
d Pamphilum,

Vt metum, in quo nunc est, adimam, atque  
expleam animum gaudio?

C. Lætus est, nescio quid. P. nihil est. nondum hæc resci-  
uit mala.

D. Quem ego nunc credo; si iam audierit sibi paratas nu-  
ptias,

C. Audin' tu illum? D. toto me oppido exanimatum quæ-  
rere.

Sed ubi quærar? aut quò nunc primum intendam? C.  
cessas alloqui?

D. Abeo. P. Daue ades, resiste. D. quis homo est, qui me?  
o Pamphile,

Te ipsum quæro. euge o Charine: ambo opportune: uos.  
uolo.

P. Daue, perij. D. quin tu hoc audi. P. interij. D. quid ti  
meas, scio.

C. Mea quidem hercle in dubio uita est. D. Et tu quid,  
scio.

P. Nuptiæ mihi. D. Id scio. P. hodie. D. obtundis, ta-  
metsi intelligo.

Id paues, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. C. rem  
tenes.

P. Istuc ipsum. D. atque istuc ipsum, nil pericli est: me  
uide.

A N D R I A

P. Obsecro te , quamprimum hoc me libera miserum me-  
tu. D. hem,

Libero : uxorem tibi iam non dat Chremes . P. qui scis ?  
D. scio .

Tuus pater modo me prehendit : ait , tibi uxorem dare  
Hodie , item alia multa , quæ nunc non est narrandi lo-  
cus .

Continuo ad te properans percurro ad forum , ut di-  
cam tibi hæc .

Vbi te non inuenio , ibi ascendo in quendam excelsum  
locum ,

Circunspicio : nusquam . forte ibi huius uideo Byrrhiū :  
Rogo : negat uidisse : mihi molestum quid agam , cogito .  
Redeunti interea ex ipsa re mi incidunt suspectio : hem ,  
Paululum obsoni , ipsius tristis , de improviso nuptiae :  
Non cohærent . P. quorū sumnam istuc ? D. egomet con-  
tinuo ad Chremem .

Cum illō aduenio , solitudo ante ostium : iam id gaudeo .

P. Recte dicas , perge . D. maneo : interea introire neminem  
Video , exire neminem , matronam nullam , in ædibus  
Nil ornati , nil tumulti . accessi , introspxi . P. scio .

Magnum signum . D. num uidentur conuenire hæc nu-  
ptijs ?

P. Non , opinor , Daue . D. opinor , narras ? non recte ac-  
cipis .

Certa res est . etiā puerum inde abiens conueni Chremis ,  
Olera , & pisciculos minutos ferre obolo in cenī seni .

C. Liberatus sum Daue hodie tua opera . D. at nullus quis-  
dem .

C. Quid ita ? nempe huic prorsus illam non dat . D. ri-  
diculum =



diculum caput.

Quasi necesse sit, si huic non dat, te illā uxorem ducere.

Nisi uides, nisi senis amicos oras, ambis. C. bene mones.

Ibo: etsi hercle sēpe iam me spes hæc frustrata est. uale.

### ACTVS SECUNDI SCENA III.

PAMPHILVS, DAVVS.

P. vid igitur sibi uolt pater? cur simulat? D.

Q. ego dicam tibi.

Si id succenseat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes,

Ipsū sibi esse iniurius uideatur: neque id iniuria:

Prius, quām tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.

Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:

Tum illæ turbæ fient. P. quid? uis, patiar? D. pater est Pamphile.

Difficile est. tum hæc sola est mulier. dictum ac factum inuenerit

Aliquam caussam, quamobrem ejciat oppido. P. ejciat? D. cito.

P. Cedo igitur, quid faciam Daue? D. dic te ducturum.

P. hem. D. quid est?

P. Ego dicam? D. cur non? P. nunquam faciam. D. ne nega.

P. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat, uide.

P. Ut ab illa excludar, huc concludar. D. non ita est.

Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:

Ducas uolo hodie uxorem. tu, ducam, inquieris:

B. 2 Cedo,

## A N D R I A

Cedo, quid iurgabit tecum? hic reddes omnia,  
Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,  
Sine omni periclo: nam hocce haud dubium est, quin  
Chremes

Tibi non det gnatam: nec tu ea causa minueris  
Hæc, quæ facis, ne is mutet suam sententiam.  
Patri dic uelle: ut, cum uelit tibi iure irasci, nō queat,  
Nam quod tu speres, propulsabo facile. uxorem his  
moribus

Dabit nemo. inopem inueniet potius, quam te corrum:  
pi sinat:

Sed si te æquo animo ferre accipiet, neglegente feceris.  
Aliam ociosus queret: interea aliquid acciderit boni.  
P. Itan' credis? D. haud dubium id quidem est. P. u<sup>m</sup> S.  
de, quò inducas. D. quintaces?

P. Dicam. puerum autem ne resciscat mihi esse ab illa,  
cautio est:

Nam pollicitus sum suscepturnum. D. o facinus audax.

P. hanc fidem

Sibi, me obsecrauit, qui se sciret non deserturum,  
darem.

D. Curabitur. sed pater adest. caue, te esse tristem sentiat.

## A C T U S S E C U N D I S C E N A I V .

S I M O , D A V V S , P A M P H I L V S .

S. Euiso, quid agant, aut quid captent consili.  
D. r Hic nunc nō dubitat; quin te ducturū neges:  
Venit meditatus alicunde ex solo loco:  
Orationem sperat inuenisse se,

Q<sup>m</sup>



Qua differat te : proin' tu face , apud te ut sies .

P. Modo ut possim . D . crede mihi hoc inquam Pamphile ,  
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem  
Vnum esse uerbum , si te dices ducere .

## ACTVS SECUNDI SCENA V.

BYRRHIA, SIMO, DAVVS, PAMPHILVS.

B. Erus me , relictis rebus , iussit Pamphilum

b Hodie obseruare , ut , quid ageret de nuptijs ,  
Sciré . id propterea nunc hūc ueniētē sequor .

ii. ipsum adeo præsto uideo cum Dauo . hoc agam .

. viii. S. vtrunque adesse uideo . D. hem serua . S. Pamphile .

D. Quasi de improviso respice ad eum . P. hem pater .

illa, D. Probe . S. hodie uxorem ducas , ut dixi , uolo .

B. Nunc nostræ parti timeo , quid hic respondeat .

dax. P. Neque istic , neque alibi tibi usquam erit in me mora .

B. hem .

n, 11. D. Obmutuit . B. quid dixit ? S. facis , ut te decet ,  
cum istuc , quod positulo , impetro cum gratia .

tiat. D. Sum uerus ? B. herus , quantum audio , uxore excidit .

S. I iam nunc intro , ne in mora , cum opu' sit , sies .

P. Eo . B. nulla ne in re esse homini cuiquam fidem ?

verum illud uerbum est , uolgo quod dici solet ,

Omnes sibi melius malle esse , quam alteri .

Ego illam uidi uirginem : forma bona

Memini uidere : quo æquior sum Pamphilo ,

Si se illam in somnis , quam illum , amplecti maluit .

Renunciabo ; ut pro hoc malo mihi det malum .

ANDRIA  
ACTVS SECUNDI SCENA VI.

DAVVS, SIMO.

- D. *Ic nunc me credit aliquam sibi fallaciam*  
*h Portare, & ea me hic restitisse gratia.*  
S. *Quid Dauus narrat? D. æque quidquam*  
*nunc quidem.*  
S. *Nihil ne? hem. D. nihil prorsus. S. atqui expectabam*  
*quidem.*  
D. *Præter spem euenit: sentio: hoc male habet uirum.*  
S. *Potin' es mihi uerum dicere? D. nihil facilius.*  
S. *Num illi molestæ quidpiam hæ sunt nuptiæ,*  
*Huiusc propter consuetudinem hospitæ?*  
D. *Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est, aut tridui*  
*Hæc sollicitudo: nostin? deinde desinet:*  
*Etenim eam secum rem recta reputauit uia.*  
S. *Laudo. D. dum licitum est illi, dumq; ætas tulit,*  
*Amauit: tum id clam: cauit, ne unquam infamiae*  
*Ea res sibi esset, ut uirum fortem decet.*  
*Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.*  
S. *Subtristis uisu' est esse aliquantulum mihi.*  
D. *Nihil propter hanc rem: sed est, quod succenset tibi.*  
S. *Quidnam est? D. puerile est. S. quid est? D. nihil. S.*  
*quin dic, quid est.*  
D. *Ait nimium parce facere sumptum. S. me ne? D. te.*  
*Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem:*  
*Num filio uidetur uxorem dare?*  
*Quem, inquit, uocabo ad cenam meorum æqualium*  
*Potissimum nunc? &, quod dicendum hic siet,*  
*Tu quoque perparce nimium. non laudo. S. tace.*

D.



A N D R I A

SI. Num immemores discipuli? D. ego, quid narres, m  
scio.

SI. Hiccine si me imparatum in ueris nuptijs

Adortus esset, quos mihi ludos redderet?

Nunc huius periclo fit. ego in portu nauigo.

L E S B I A , S I M O , D A V V S .

L. Dhuc Archillis, quæ assolent, quæq; oportet  
a Signa ad salutem esse, omnia huic esse uideo.  
Nunc primum fac istæc ut lauet: post deſ  
inde,

Quod iussi ei dare bibere, &, quantum imperauit,  
Date: mox ego huc reuertor.

Per, æcastor, scitu' puer natu' est Pamphilo.  
Deos quæſo, ut sit superstes: quando quidem ipſe est im  
genio bono,

Cumq; huic ueritus est optumæ adolescenti facere ini  
uriā.

SI. Vel hoc quis non eredat, qui norit te, abs te esse ortum?  
D. quidnam id est?

SI. Non imperabat coram, quid opus factō effet puerperæ.  
Sed postquam egressa est, illis, quæ sunt intus, clama  
de uia.

O Daue, itan' contemnor abs te? aut ita ne tandem  
idoneus

Tibi uideor esse, quem tā aperte fallere incipias dolis?  
Saltem accurate, ut metui uidear certe, si rescuerim.

D. Certe hercle nunc hic se ipſus fallit, haud ego. SI.  
edixin' tibi?

Interminatus

